Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2227
Quelle:
Copyright:

Fol. 153. p. 2. e calce. *Sermo de natiuitate beate virginis marie. Ipse fundauit eam altissimus.* Incipit: *Magne vtique et gloriose festiuitatis diem primordia humane salutis recolentem* &c. To *fundauit* occasionem Oratori praebet digrediendi ad Fundationes et pias Caussas, ubi acriter inter alia: *Hoc cogor dicere karissimi, quia, ut rerum constat testimonio, non solum nihil notabile fundant, vt olim ad sanctorum veneracionem, sed defundant et euertunt ad eorum dampnacionem illa, que sollempniter a predecessoribus gloriosis perutiliter fundata fuerunt ad honorem dei et sanctorum.* Esse quidem Principes et Ecclesiae Praesides pie et religiose cogitantes. *Sed quid? statim accedunt filij belial, pseudo consiliarij, satellites dyaboli, siue auaricie et ambicioni seruientes et obsistunt* &c. Alias prolixe in *Astrologiam* invehitur; *Mariam* vero ab originaria labe praeservatam non semel adserit.

Fol. 173. e calce: *Sermo proxima Dominica post conductum Pasce.* Id est Dom. II. post Pascha; Dominicam enim in Albis mos erat adpellare *Clausum*, sive *Conductum Paschatis*, et *Conductum* fortasse quidem a Nundinis, nobis *Ostermesse*. *Ego sum pastor bonus* &c. Incipit: *Bonus pastor cognoscitur a pingwedine pecoris* &c. Multa opportuna de officio Pastorum. Ita ad locum: *Vos ipsi vidistis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum.* Exod 19. *Timendum est, ne quidam eorum* (Pastorum) *sint struciones, qui habent pennas regales longas et latas, sed non volant a terra; ita quidam habent prebendas, dignitates et scientiam, et tamen semper occupantur in terrenis. Quidam ut Bubones, qui diligunt ecclesiam propter oleum, vnde extinguunt lumen et oleum consumunt; ita quidam ecclesiastici lumen conscientie extinguunt et pingwedinem ecclesiasticorum bonorum consumunt. Quidam ut Vultures, qui pullos in summa macie custodiunt; ita quidam parochianos et colonos suos in summa paupertate detinent* &c. Varia item de Lupis.

Fol. 181. *Sermo Episcopi Laudensis de sancto Augustino.* Est is *Jacobus Arigonius de Balardis* O. P. e celeberrimis *Constantiae* oratoribus. Thema: *Quasi sol refulgens* &c. sed initium: *Beatissimi Presulis et Doctoris eximij sanctissimi Augustini votiua solempnia* &c. Adplicantur ei Solis proprietates. Sermo *Quetifo* et *Echardo* ignotus.

Fol. 187. *Sermo fratris Mathei de aula regia predicatus dominica 4. post trinitatis.* Estote misericordes &c.

Fol. 196. p. 2. *Sermo in cena Domini. Mandatum nouum dedi vobis* &c. Incipit: *O homo ecce tue forme siue discipline regula* &c. Atque haec Apostrophe toto Sermone continuatur, cui Πάθος non deest.

Fol. 200. p. 2. *Collacio prima. Probet autem seipsum homo* &c. Incipit: *Dominus noster ihesus christus gubernator ac rector tocius orbis* &c. De Sacramento